

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Hieronymvs Savanorola

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

HIERONYMVS SAVANOROLA
Florentinus.



Vrit amor me Christe tuus: dein perfidus hostis
Vstulat: in caelo Savanorola beor.

M. CCCC. XCIIX. B

HIERONYMVS SAVANO-
rola Italus, Florentinus:

Concionator, ex Dominicanorum ordine
olim Monachus:

A Patre Luminum Deo Opt. Max.

Sanctæ Fidei tandem & Veritatis inuictæ radijs
illustratus cœlestibus;

Quam magno postea cum Zelo religiosè tutatus,
& ad vitæ vsque spiritum extremum con-
stanter professus est:

Sanctis sanctæ doctrinæ post se monumentis
relictis, in omne æuum perduraturis:

Martyr denique factus Christi:

Maximo cum bonorum ciuium luctu

Strangulatus (heu) viuus primùm; ac deinde mor-
tuus cum duobus socijs crematus Florentiæ,
postulatu Alexandri VI Pontif. Rom.

Obijt. Anno M. CCCCXCII X. X. KL:
Iunij. Aet. XLV. M. II X.

IN HIERONYMV M SAVA-
NOROLAM.

M. ANTONII FLAMINII.

*Dum fera flamma tuos Hieronyme pascitur artus:
Religio sanctas dilaniata comas:
Fleuit, & ô, dixit, crudeles parcite flamme:
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.*


ANONYMI.

*Infelix bustum cecidisti HIERONYME, secli,
Inuidia, ostendi nunquam sua crimina passi:
Fatidicis Clarij quamuis oracula Phoebi
Vicisse elegis, Cumæaq; carmina dictus.
Certius haud quisquam surgentia dicere fata
Numinis afflatu, aut venientia tempora norat.*

IO. IACOBI BOISSARDI.

*Desine Alexandri verbis perstringere mores:
Qui libertatem reprimet igne tuam.*

B ij



NATHANIS CHYTRAEI.

*Quando sacerdotum corruptos tangere mores,
Et scelera ausus erat Papæ exagitare superbi:
Innocuum vitâ & studijs Florentia tandem
Sauanorolam, Arno lacrymas fundente, cremari
Vidit, & indoluit: quum nec Pietasq̃, Fidesq̃,
Reprimerent gemitus: quarum utraq̃, teste fidei
Flaminio, hac nimios testata est voce doctores:
Parcite, nil meritis immanes parcite flammæ:
Viscera nostra etenim tam seuis ignibus ardent.*

HIERONYMI TREVTLERI.

*Surculus ille tuo Florentia pulcra decore
Pulcrior, est monachi vera figura pij.
Aspicit Impietas habitum temerarie istum:
Et sua Vulcano vindice dona piat.*